G. 125

Whayh

(B.G. 12062)

UNIVERSITEITSB

90000

G.

Digitized by Google

Gent. 125

Gent. 125

Introductorium ARTIS GRAMMATICÆ,

Tribus diſtinctum Capitellis.

¶ Quorum primum, Octo partium Orationis cognitionem paucis edocet.

¶ Secundum autem, Partium declinabilium inflexiones demonſtrat.

¶ Tertium verò, faciliores Congruitatis regulas complectitur.



BIBLIOTHECA GANDAVENSIS

TYRONI LITERARIO.

Bicipitis quemcunque iuuat conſcendere rupis
Culmina, perplexum ſed remoratur iter:
Parua licet memori ſint hæc elementa reuoluat
Pectore, nam ſternent ad grauiora viam.

GANDAVI.
Apud Gerardum Salenſon.
1554.

PArtes Orationis quot ſunt? Octo. Quæ? Nomen, Pronomen, Verbum, Aduerbium, Participium, Coniunctio, Præpoſitio, Interiectio.

NOmen quid eſt? Pars orationis, quæ cum caſu & ſine tempore ſignificat rem quæ videri aut tangi poteſt.

¶Quotuplex eſt nomen? Duplex. Subſtantiuum & Adiectiuum. ¶ Nomini quot accidunt? Octo. Quæ? Qualitas, ſpecies, genus, numerus, figura, caſus, comparatio, declinatio. ¶ Qualitates nominum quot ſunt? Duæ. propria, & communis. ¶Species nominum quot ſunt? Duæ. primitiua, & deriuatiua. ¶Genera nominum quot ſunt? Septem. maſculinum, fœmininum, neutrum, commune, omne, dubium, & epicœnum. ¶ Numeri nominum quot ſunt? Duo. ſingularis, & pluralis. ¶Figuræ nominum quot ſunt? Duæ. ſimplex & compoſita. ¶Caſus nominum quot ſunt? Sex. nominatiuus, genitiuus, datiuus, accuſatiuus, vocatiuus, & ablatiuus. ¶ Comparationis gradus quot ſunt? Tres. poſitiuus, comparatiuus, & ſuperlatiuus. ¶ Declinationes nominum quot ſunt? Quinque. prima, ſecunda, tertia, quarta, & quinta.

DOminus quæ pars orationis? Nomen. quia cum caſu & ſine tempore ſignificat rem quę videri aut tangi poteſt. ¶Dominus, quod nomen? Subſtantiuum, quia poteſt per ſe ſtare in oratione. ¶ Bonus, quod nomen? Adiectiuum, quia non poteſt per ſe ſtare in oratione.
¶Petrus, cuius qualitatis? Propriæ, quia vniuocè conuenit vni tantùm.
¶Dominus, cuius qualitatis? Cõmunis, quia vniuocè conuenit multis.
¶Dominus, cuius ſpeciei? Primitiuæ, quia à nullo deriuatur.
¶Dominicus, cuius ſpeciei? Deriuatiuæ, quia deriuatur ab alio.

Dominus	Cuius generis?	Maſculini	Quia pręponitur in nominatiuo	Hic
Domina		Fœminini		Hæc
Scamnum		Neutri		Hoc
Chriſticola		Cõmunis		Hic & hæc
Fœlix		Omnis		Hic hęc hoc
Dies		Dubij		Hic aut hęc

¶ Paſſer cuius generis? Epicœni, quia ſub vno articulo vterque ſexus intelligitur, vt hic paſſer, hæc aquila. ¶ Sacerdos, cuius numeri? Singularis, quia rem vnã ſignificat. Sacerdotes, cuius numeri? pluralis, quia res plures ſignificat. ¶ Pius cuius figuræ? Simplicis, quia non componitur ex diuerſis dictionib. ¶ Impius, cuius figuræ? Compoſitæ, quia componitur ex diuerſis dictionibus. ¶ Dominus comparatur? Non, quia ſignificatum eius non poteſt augeri vel minui. ¶Sanctus comparatur?

Nomen hȝ q̃ual, spe, nu, fig, cas, dec, gen, et comp.
Etiam septem om, mas, fe, neu, com, dub, et epi.
Declinat ~~quart~~ quinto pri, se, ter, quar, quin, quinta.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

ratur? Etiam,quia ſignificatum eius poteſt augeri vel minui. Sanctus, cuius gradus? Poſitiui,quia ſignificat rem ſuam ſine exceſſu. Sanctior, cuius gradus? Comparatiui,quia ſignificat rem ſuam cum exceſſu poſitiui. Sanctiſſimus,cuius gradus? Superlatiui,quia ſignificat rem ſuam cum exceſſu comparatiui ~~& ſuperlatiui~~. ¶ Poëta, quotę declinationis? Primæ,quia genitiuus eius & datiuus fit in æ. ¶ Faber,quotæ declinationis? Secundæ, quia genitiuus eius fit in i,& datiuus in o. ¶ Pes, quotę declinationis? Tertiæ,quia genitiuus eius fit in is,& datiuus in i. ¶ Manus,quotæ declinationis? Quartæ,quia genitiuus eius fit in us,& datiuus in ui. ¶ Res,quotæ declinationis? Quintæ,quia genitiuus eius & datiuus fit in ei.

PRonomen quid eſt? Pars orationis, quæ loco nominis ponitur, & certam ſignificat perſonam. ¶ Pronomini quot accidunt? Septem, ſpecies,genus,numerus,figura, perſona,caſus,& declinatio. ¶ Species Pronominum quot ſunt? Duæ.primitiua,& deriuatiua. ¶ Genera Pronominum quot ſunt? Quatuor.maſculinum,fœmininũ, neutrum,& omne. ¶ Numeri pronominũ quot ſunt? Duo.Singularis & pluralis. ¶ Figuræ pronominum quot ſunt? Duæ,ſimplex,& compoſita. ¶ Perſonæ pronomiuum quot ſunt? Tres,prima,ſecunda,tertia. ¶ Caſus pronominum quot ſunt? Sex,nominatiuus,genitiuus,datiuus, accuſatiuus,vocatiuus,& ablatiuus. ¶ Declinationes pronominũ quot ſunt? Quatuor. prima,ſecunda,tertia,& quarta.

EGo, quæ pars orationis eſt? Pronomen. Quare? Quia loco nominis ponitur,& certam ſignificat perſonam. ¶ Quot ſunt pronomina? quindecim: ego,tu,ſui,ille,ipſe,iſte,hic,is,meus,tuus,ſuus,noſter, veſter, noſtras, veſtras. ¶ Ego,quale pronomen? Demonſtratiuum, quia aliquid demonſtrat. ¶ Quot ſunt pronomina demonſtratiua? Ferè omnia. ¶ Ipſe, quale pronomen? Relatiuum, quia aliquid refert. ¶ Quot ſunt pronomina relatiua? Septem: ſui,ſuus,ille,ipſe,iſte,hic, & is. Sui quale relatiuum? Reciprocum: quia ſe reciprocat,vt inuidus nocet ſibi. ¶ Quot ſunt reciproca? Duo,ſui & ſuus. ¶ Meus,quale pronomen? Poſſeſſiuum,quia ſignificat aliquid poſſideri. ¶ Quot ſunt pronomina poſſeſſiua? Quinque: meus,tuus,ſuus,noſter,& veſter. ¶ Noſtras,quale pronomen? Gentile,quia gentem,vel patriam ſignificat,vt Cuias es? Ego ſum veſtras, hoc eſt,de veſtra gente, vel patria. ¶ Ego,cuius ſpeciei? Primitiuæ, quia à nullo deriuatur. ¶ Quot ſunt pronomina primitiuæ ſpeciei? Octo: ego,tu,ſui,ille,ipſe,iſte,hic,& is. ¶ Meus cuius ſpeciei? Deriuatiuæ: quia deriuatur ab alio. ¶ Quot ſunt

pronomina deriuatiuæ ſpeciei? Septem: meus,tuus,ſuus,noſter,veſter, noſtras & veſtras. ¶ Ego,tu,ſui,cuius generis? Omnis. Quare? Quia omni generi conueniunt. ¶ Ego,cuius figuræ? Simplicis,quia non componitur ex diuerſis dictionibus. ¶ Egomet,cuius figuræ? Compoſitæ, quia componitur ex diuerſis dictionib. ¶ Ego,quotæ perſonæ? Primæ, quia ſignificat rem de ſe loquentem. ¶ Tu,quotæ perſonæ? Secundæ, quia ſignificat rem ad quam ſit ſermo. ¶ Sui,quotæ perſonæ? Tertiæ, quia ſignificat rem de qua ſit ſermo. ¶ Et nota quòd omnia nomina, pronomina & participia,ſunt tertiæ perſonæ,præter ego,quod eſt primæ,& tu,cum vocatiuis ſecundæ. ¶ Quot ſunt pronomina habentia vocatiuum? Quatuor,Tu,meus,noſter,& noſtras. Vnde verſus,

Tu meus & noſter noſtras habuere vocantem. ¶ Quot ſunt pronomina primæ declinationis? Tria,Ego,tu,ſui. Quot ſunt pronomina ſecundæ declinationis? Quinque,Ille,ipſe,iſte,hic,is. Quot ſunt pronomina tertiæ declinationis? Quinque,Meus,tuus,ſuus,noſter,veſter. Quot ſunt pronomina quartæ declinationis? Duo, Noſtras & Veſtras.

VErbum, quid eſt? Pars orationis, quæ declinatur cum modo, & tempore,ſine caſu,& agere vel pati ſignificat. ¶ Quotuplex eſt verbum? Duplex: perſonale,& imperſonale. ¶ Quotuplex eſt verbum imperſonale? Duplex: Actiuæ vocis, quod deſinit in t: & paſſiuæ vocis,quod deſinit in tur. ¶ Verbo quot accidunt? Octo: Modus, coniugatio, genus, numerus, figura, tempus, perſona, ſpecies.

¶ Modi verborum quot ſunt? Quinque:Indicatiuus,imperatiuus,optatiuus,coniunctiuus,infinitiuus. ¶ Coniugationes verborum quot ſunt? Quatuor:Prima,ſecunda,tertia,quarta. ¶ Genera verborum quot ſunt? Quinque : Actiuum,paſſiuum,neutrum,commune,& deponens.

¶ Numeri verborum quot ſunt? Duo : Singularis, & Pluralis.

¶ Figuræ verborum quot ſunt? Duæ : Simplex, & Compoſita.

¶ Tempora verborum quot ſunt? Tria : Præſens , præteritum, & futurum . ¶ Quotuplex eſt præteritum? Triplex : Imperfectum , perfectum, & pluſquam perfectum . ¶ Quot tempora fiunt à præterito perfecto? Quinque : ram,ſſem,rim,ro,ſſe : formabit cætera præſens.

¶ Perſonæ verborum quot ſunt? Tres : Prima,ſecunda,tertia.

¶ Species verborum quot ſunt? Duæ : Primitiua,& Deriuatiua.

AMO , quæ pars orationis? Verbum . Quare? Quia declinatur cum modo,& tempore, ſine caſu &c. ¶ Amo, quale verbum? Perſonale, quia per tres diſtinctas & certas perſonas coniugatur in vtroque numero . ¶ Oportet , quale verbum? Imperſonale , quia ſolum

lùm coniugatur per vocem ſimilem tertiæ perſonæ ſingularis numeri & tamen conuenit cuilibet perſonæ. Amo,cuius modi? Indicatiui, quia per ipſum aliquid indicatur. Ama, cuius modi? Imperatiui, quia per ipſum aliquid imperatur,aut petitur. Amarem,cuius modi? Optatiui, quia per ipſum aliquid optatur. Amauerim, cuius modi? Coniunctiui, quia aliud verbum ſibi coniungit. Amare,cuius modi? Infinitiui, quia neque numerum neque perſonam recipit, ſed infinitè ſe habet ad quamlibet perſonam & numerum.

Amo quotæ coniugationis? primæ,quia habet a longum ante re in infinitiuo, hinc excipitur do cum ſuis compoſitis quod habet a breue ante re. Doceo quotæ coniugationis? Secundæ,quia habet e longum ante re in infinitiuo. Scribo quotæ coniugationis? Tertiæ, quia habet e breue ante re in infinitiuo. Audio quotæ coniugationis? Quartæ, quia habet i longum ante re in infinitiuo.

Oſculor	quotæ coiugationis?	Primæ	quia habet	a longam	ante ris	in ſecunda perſona præſentis temporis indicatiui modi.
Vereor		Secũdæ		e longam		
Naſcor		Tertiæ		e breuem		
Blandior		Quartæ		i longam		

Sum,quotæ coniugationis? Nullius regularis, quia coniugatur irregulariter, Sum,es,eſt. Sic, Fero,fers,fert. Volo,vis,vult. Amo,cuius generis? Actiui, quia ſub voce actiua actionem in aliquid ſignificat & poteſt accipere r. Amor,cuius generis? Paſſiui. quia ſub voce paſſiua paſſionem ſignificat & poteſt dimittere r. Sto, cuius generis? Neutrius,quia nec actionem in aliquid,nec paſſionem ſignificat,nec poteſt accipere r ſuper o. Oſculor,cuius generis? Communis,quia tam actionem quàm paſſionem ſignificat,& non poteſt dimittere r. Loquor, cuius generis? Deponentis. quia cùm ſit paſſiuæ vocis,ſignificationem paſſiuam deponit,& ſeruat actiuã,& nõ poteſt dimittere r. Amo,cuius temporis? Præſentis. quia rem præſentẽ ſignificat. Amaui,cuius temporis? Præteriti. quia rem præteritam ſignificat. Sic amabam,& amaueram. Amabo,cuius temporis? Futuri,quia rem futuram ſignificat.
Amo,quotæ perſonæ? Primæ, quia ſignificat rem de ſe loquentem.
Amas,quotæ perſonæ? Secundę,quia ſignificat rem ad quã fit ſermo.
Amat,quotæ perſonæ? Tertiæ, quia ſignificat rem de qua fit ſermo.
Amo, cuius ſpeciei? Primitiuæ, quia à nullo deriuatur.
Eſurio, cuius ſpeciei? Deriuatiuæ, quia deriuatur ab alio.

ADuerbium quid eſt? Pars orationis quæ adiecta ſibi, vel alij verbo, ſignificationem eius explanat. Aduerbio quot accidunt? Quatuor, Significatio, ſpecies, figura, & comparatio.

Significationes aduerbiorum quot ſunt? Incertus eſt numerus. vt loci, temporis, &c. Quotuplicia ſunt aduerbia loci? Quadruplicia, quia vel in loco, vel de loco, vel per locum, vel ad locum, ſignificant. Dic aliqua aduerbia ſignificantia in loco. Vbi, ibi, hic, illic, iſtic, ſicubi, alicubi, alibi, vſquam, nuſquam, vbique, vbicunque, ibidem, intus, foris. Dic aliqua aduerbia ſignificantia de loco. Vnde, inde, hinc, illinc, iſtinc, ſicunde, necunde, alicunde, vndique, vndicunque, inferne, ſuperne, cœlitus, intus, foris. Dic aliqua aduerbia ſignificantia per locum. Qua, hac, illac, iſtac, quaquam, ſiqua, nequa, aliqua, recta. Dic aliqua aduerbia ſignificantia ad locum. quo, huc, illuc, iſtuc, quoquam, quocunque, ſiquo, nequo, aliquo, intro, foras. Da temporis. Heri, hodie, cras, nuper, olim, nunc, tunc, cum, dum, iam, ſemper, mane, modo, pridie, perendie, nudiuſtertius. Da numeri. Semel, bis, ter, quater. Da negandi. Haud, non, neque, nequaquam. Da affirmandi. Etiam, quidni, certe, profecto, nimirum, vtique, imo, quinimo. Da demonſtrandi, En, ecce. Da optandi, Vtinam, o, ſi. Da hortādi, Eia, age, agedum. Da ordinis, Dein, deinde, exin, exinde, deinceps, continuo. Da interrogandi, Cur, quare, quamobrem, quomodo, an, num, nonne, nunquid. Da ſimilitudinis, Ceu, quaſi, tanquam, velut, veluti, ſic, ſicut, ſicuti, vt, vti.. Da qualitatis, Docte, pulchre, fortiter, bene, male. Da quantitatis, Multum, parum, ſatis, abunde, modicum. Da dubitandi, Forte, forſan, fortaſſis, fortaſſe, forſitan. Da vocandi, O, heus. Da prohibendi, Ne. Da ſeparandi, Seorſum, diuiſim, bifariam. Da iurandi, Edepol, hercle, mediuſfidius. Da congregandi, Simul, vna, pariter. Da comparatiua, Magis, minus, potius. Da ſuperlatiua, Maxime, minime. Da intenſiua, Valde, vehementer, omnino, penitus. Da remiſſiua, Senſim, paulatim, pedetentim. Da diminutiua, Argutule, belle, clanculum. Da properandi, Cito, velociter. Da perſonalia, Mecum, tecum, ſecum, nobiſcum, vobiſcum. ¶Species aduerbiorum quot ſunt? Duæ: primitiua & deriuatiua. ¶Figuræ aduerbiorum quot ſunt? Duæ: ſimplex, & compoſita. Comparationis gradus quot ſunt? Tres; poſitiuus vt doctè, comparatiuus vt doctius, ſuperlatiuus vt doctiſſimum vel doctiſſime.

NVnc, quæ pars orationis eſt? Aduerbium, quia adiectum ſibi, vel alij verbo, ſignificationem eius explanat. Nunc, cuius ſignificationis eſt? Temporalis, quia ſignificat tempus. Nunc, cuius ſpeciei? Primitiuæ, quia à nullo deriuatur. Clanculum, cuius ſpeciei? Deriuatiuæ, quia deriuatur ab alio. Nunc, cuius figuræ? Simplicis, quia non componitur ex diuerſis dictionibus. Vbique, cuius figuræ? Compoſitæ, quia componitur ex diuerſis dictionibus.

Par-

Adverbium dicitur ab adverbio / quia in structura ~~adiectiuis~~ verbis adiectiue . nam ut adiectiuum nominis declarat substantiam ita adverbium verbo additum cum structura construi . non enim percipimus qualis homo sit nisi addas adiectiuum ut homo iustus, homo pius, ita legere quomodo contingit nisi bene vel male. vero igitur donatus adverbium definiuit pars orationis est quae positum in verbo structura .
Est autem et de forma non diuinus generalis propositiones separatim non possunt proponi adverbijs .

ans / ens	finita, ut	amans / legens	activi significant presentis
tus / sus / xus	finita, ut	doctus / visus / ~~[illegible]~~ / rectus	passivi significant preteriti
rus / dus	finita ut	amaturus / amandus	futurum activi / futurum passivi

Presentis temporis participia a preterito ubi formatur mutando bam vel bar in ns, ut amabam amans, legebar legens.
Preteriti temporis participia formatur a posteriori supino addita s, ut doctus visus rectus.
Futuri temporis participia in rus finiunt, et sic ab ultimo supino addito rus ut amaturus.
In dus vero formantur a gerundio, mutando di in dus, ut a legendi legendus.

PArticipium quid eſt? Pars orationis ſignificãs vt Verbum, & declinabilis vt Nomen. Quot ſunt terminationes participiorum? Octo. ans, vt amans: ens, vt legens: tus, vt auditus: ſus, vt læſus: xus, vt pexus: uus, vt mortuus: rús, vt docturus: dus, vt amandus. ¶Participio quot accidunt? Sex. genus, caſus, tempus, ſignificatio, numerus, & figura. ¶Genera participiorum quot ſunt? Quatuor. maſculinum, fœmininum, neutrum, & omne. ¶Caſus participiorũ quot ſunt? Sex. nominatiuus, genitiuus, datiuus, accuſatiuus, vocatiuus, & ablatiuus. ¶Tempora participiorum quot ſunt? Tria. præſens, præteritum, & futurum. ¶Significationes participiorũ quot ſunt? Quinque. actiua, paſſiua, neutra, communis, & deponens. ¶Numeri participiorum quot ſunt? Duo. ſingularis, & pluralis. ¶Figuræ participiorum quot ſunt? Duæ. ſimplex & compoſita. ¶Quot modis participium fit nomen? Quatuor. primò, quando conſtruitur cum alio caſu quàm verbũ eius: vt amans vini. Secundò, quando comparatur, vt doctus doctior. Tertiò, quando componitur aliter quàm verbũ eius, vt indoctus. Quartò, quando ſignificat ſine tempore, vt venerandus.

LEgens, quæ pars orationis eſt? Participium, quia ſignificat vt verbum, & declinatur vt nomen. ¶Legens cuius temporis? Præſentis, quia ſignificat rem præſentem. Vnde formatur participium præſentis temporis? A gerundio in di, mutando di in es, vt à legendi legens. Lectus cuius temporis? Præteriti, quia ſignificat rem præteritam. Vnde formatur participium præteriti temporis? A poſteriori ſupino, addendo s, vt à lectu lectus. Lecturus, legendus, cuius temporis? Futuri, quia ſignificat rem futuram. Vnde formatur participium in rus? A poſteriori ſupino, addendo rus, vt à lectu lecturus. Vnde formatur participium in dus? A gerundio in di, mutando di in dus, vt à legendi legendus. ¶Legens, lecturus, cuius ſignificationis? Actiuæ, quia ſignificat actionem in aliquid. Lectus, legendus, cuius ſignificationis? Paſſiuæ, quia paſſionem ſignificat. Stans, ſtaturus, cuius ſignificationis? Neutrius, quia nec actionem in aliquid, nec paſſionem ſignificat. Oſculatus, cuius ſignificationis? Communis, quia tam actionem quàm paſſionem ſignificat. Locutus cuius ſignificationis? Deponentis, qui cùm ſit paſſiuæ vocis, ſignificationem paſſiuam deponit, & ſeruat actiuam. Participia in ans & in ens ſunt omnis generis præſentis temporis & tertiæ declinationis: Participia verò præteriti temporis in tus, ſus, xus, & uus, & futuri temporis in dus & rus, ſunt ſub us & um ſecundæ declinationis, & ſub a primæ: & ſequuntur genus ſuæ terminationis.

Con

Coniunctio quid eſt? Pars orationis annectens, ordinansque ſententiam. Coniunctioni quot accidunt? Tria. poteſtas, figura, & ordo. ¶ Poteſtas coniunctionum quotuplex eſt? Septuplex: Copulatiua, diſiunctiua, expletiua, cauſalis, rationalis, conditionalis, & aduerſatiua. Figuræ coniunctionum quot ſunt? Duæ. Simplex, & compoſita. Ordo coniunctionum quotuplex eſt? Triplex. Præpoſitiuus, ſubiunctiuus, & communis.

ET, quæ pars orationis? Coniunctio. quia coniungit & ordinat ſententiam. ¶ Et, cuius poteſtatis? Copulatiuæ. quia copulat dictiones & ſententias. Da copulatiuas. Et, que, quoque, ac, atque, cum, tum. ¶ Vel, cuius poteſtatis? Diſiunctiuæ. quia dictiones iungit, & ſententias diſiungit. Da diſiunctiuas. Aut, ve, vel, nec, neque, ſeu, ſiue, neu, neue. ¶ Quidem, cuius poteſtatis? Expletiuæ. quia explet ſententiam. Da expletiuas. Quidem, equidem, autem, nempe, ſcilicet, videlicet. ¶ Enim, cuius poteſtatis? Cauſalis. quia rei cauſam oſtendit. Da cauſales. Nam, namque, enim, etenim, quòd, vt, ſiquidem, quia, quoniam, quoniamquidem, quando, quandoquidem, quippe, quatenus, præſertim. ¶ Ergo, cuius poteſtatis? Rationalis, quia rei rationem colligit. Da rationales. Ita, itaque, ergo, ideo, igitur, proinde, quare, quamobrem, quapropter, quocirca, idcirco, propterea. ¶ Si, cuius poteſtatis? Conditionalis, quia rei conditionem proponit. Da conditionales. Si, ni, niſi. ¶ Etſi, cuius poteſtatis? Aduerſatiuæ. quia ſententiã præcedenti aduerſam notat. Da aduerſatiuas. Sed, at, aſt, alioquin, atqui, cæterum, porro, vero, tamen, veruntamen, etſi, etiamſi, tametſi, quanq̃, quamuis, licet, ſin, ſinautem, ſinaliter. ¶ Quot ſunt coniunctiones encleticæ? Tres. que, ve, ne. Cur dicuntur encleticæ? Quia præcedentis ſyllabæ accentum ad ſe inclinant. ¶ Et, cuius figuræ? Simplicis. quia non componitur ex diuerſis dictionibus. ¶ Etſi cuius figuræ? Compoſitæ. Quia componitur ex diuerſis dictionibus. ¶ Sin, cuius ordinis? Præpoſitiui, quia præponitur dictioni quam copulat. Da coniunctiones præpoſitiui ordinis. At, aſt, ſed, ſin, cæterum, porro, neue, alioquin. ¶ Autem, cuius ordinis? Subiunctiui. quia ſubiungitur dictioni quam copulat. Da coniunctiones ſubiunctiui ordinis. Quidem, autem, quoque, enim, vero, que, ve, ne. ¶ Igitur, cuius ordinis? Communis. quia tam præponi, quàm poſtponi poteſt dictioni quam copulat. Da coniunctiones communis ordinis. Ideo, ergo, igitur, ſcilicet, videlicet, idcirco, quia, quoniam. &c. ¶ Et nota quòd eadem vox interdum ſit aduerbium, interdum coniunctio, vt ita, cum, quare, etiam, quamobrem.

Præ-

Ex coniunctionibus disiunctivis, an, interrogat, sed, aut, non interrogat. Ne, utroque semper praecedit an, ut estne hic parens tuus, an ille? tune an ego? durumne est, an amicitia[?] quam non recte qui hoc dignum est ne hoc durum vel serenum?

Itemque casus prepositiones In, sub, super, et subter

Serviunt accusativo casui, quando nos vel quos libet ad locum ire esse vel ituros esse significamus. Serviunt vero ablativo casui, quando nos vel quemlibet in loco esse vel fuisse vel futuros esse significamus. In accusativum casum ut itur in sylvam antiquam. In ablativum casum ut stans celsa in puppi.

In, accusativum casum, ut itur in antiquam sylvam. In, ablativo casu ut stans celsa in puppi.

Sub, accusativo casu, ut postesque sub ipsos nituntur gradibus. Sub ablativo casu ut arma sub adversa posuit radiantia quercu.

Super, ubi locum significat magis accusativo quam ablativo casui servit, ubi vero mentionem alicuius rei facimus, ablativo tantum, ut multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

In, etiam tam accusativo quam ablativo servit cum significat contra, ut in adulterum et in desertorem.

Subter iisdem servit casibus ut superiores ad locum et in loco stantes.

Prepositio a re sortita nomen, ceteris orationis partibus preponitur, idque bifariam, aliquando ut fiat eadem orationis pars, ut doctus indoctus, aliquando disiungitur per constructionem ut apud senatum. Neque enim hic una pars est sed duae, illud compositionem hoc appositionem vocant. Prepositio igitur preposita aliis partibus (secundum Donatum) per compositionem, significationem earum aut complet, ut facio, perficio, aut mutat ut felix, infelix, aut minuit ut video, subvideo.

Magna in prepositionibus vis est, quam qui non intelligit, non speret linguam se latinam locuturum. Relativae sunt plereque.

Cis et trans de longiori spatio, ut cis et trans Rhenum, Gallia cis alpina et trans alpina.

Citra et ultra fere de breviori spatio, ut citra forum, ultra Tiberim.

Supra de longiori spatio dicitur, ut supra nos volant aves.

Super de brevi, ut super lapidem.

Inde eorum relativa, ut infra nos sunt inferi, subter autem stamus.

Contra est hostilis prepositio, erga plerumque amicitiae.

Secundum flumen natat. Preter officium est, quod fit super quam officium postulabat, preter, in ... constans.

Secus vero rarum est.

Notandum autem est, si prefatae prepositiones careant casibus, tunc esse adverbia, ut super nos habet aliquis dicens. natus est ... pariter, clam hoc fecit, palam loquutus est.

A preponitur dictionibus incipientibus a consonantibus ut a deo, a parvo, a ...

AB preponitur dictionibus incipientibus a vocalibus ab homine ab illo.

Preterea ab l. et r. et i consonante, ut ab rege ab Iove ab lege ab legato.

ABS demum dictionibus a t et q incipientibus, ut abs te abs quo, abs ... apud Terent.

In, sub, super et subter, in templo ... in templo, in tabula ... extra quam ... ponito sub mensa, ... sub mensa, subter stamina abs ... [illegible]

PRæpoſitio quid eſt? Pars orationis quæ præpoſita aliis partibus in oratione, ſignificationem earum aut complet, aut mutat, aut minuit. ¶ Præpoſitioni quot accidunt? Vnum tantùm, ſcilicet regere caſum, accuſatiuum vel ablatiuũ. ¶ Quotuplex eſt præpoſitio? duplex. Separabilis, quæ ſola aliquid ſignificat, vt ante, contra, coram, clam. &c. & inſeparabilis, quæ extra compoſitionem nihil ſignificat.

AD, quæ pars orationis? Præpoſitio. quia præpoſita aliis partibus in oratione, ſignificationem earum aut complet, aut mutat, aut minuit. ¶ Ad, quem caſum regit? Accuſatiuum, vt Ad forum. Da præpoſitiones regentes accuſatiuũ. Ad, apud, ante, aduerſum, cis, citra, circum, circa, contra, erga, extra, intra, inter, infra, iuxta, ob, pone, per, propter, prope, ſecundum, poſt, trans, vltra, præter, ſupra, circiter, vſque, ſecus, penes, retro, verſus, aduerſus. ¶ Ab, quem caſum regit? Ablatiuum, vt Ab homine. Da præpoſitiones regentes ablatiuum. A, ab, abs, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, præ, palam, ſine, abſque, tenus, & procul. ¶ In, quem caſum regit? Tam accuſatiuũ quàm ablatiuum. Da præpoſitiones regentes tam accuſatiuum quàm ablatiuum. In, ſub, ſuper, ſubtus, & ſubter. Quando regunt accuſatiuum? Quando ſignificatur motus ad aliquid, vel mutatio: vt, Inclina cor meum DEVS in teſtimonia tua, & non in auariciam. Quando regunt ablatiuum? Quando nõ ſignificatur motus ad aliquid, vel mutatio: vt, In Domino confido. Multa ſuper Priamo rogitans. ¶ Da præpoſitiones inſeparabiles. Di, dis, re, ſe, an, co, con. Cur dicuntur inſeparabiles? Quia non vtimur eis ſeparatim, ſed tantùm in compoſitione: vt, Diluo, diſtraho, recubo, ſeparo, amplector, cohæreo, congredior. ¶ Et nota quòd præpoſitio poſita ſine caſu proprio, fit aduerbium.

INteriectio quid eſt? Pars orationis quæ interiecta aliis partibus, affectum mentis ſignificat voce incognita. ¶ Interiectioni quot accidunt? Vnum. Quod? Significatio tantùm. ¶ Significationes interiectionum quot ſunt? Incertus eſt numerus. Gaudentis, vt euax, eho. Dolentis, vt heu, hei. Admirãtis, vt pape, hui. Metuentis, vt atat. Comminantis, vt ve. Indignantis, vt vah. Blandientis, vt mi, amabo. Laudantis, vt euge. Deridentis, vt aha, phi, ſcilicet. Exclamantis, vt ah, o, proh. Iraſcentis, nefas, malum, infandum. Silentis, au, ſi, ſt.

HEi, quæ pars orationis eſt? Interiectio, quia interiecta aliis partibus, affectum mentis ſignificat. ¶ Hei, cuius ſignificationis eſt? Dolentis, quia ſignificat dolorem proferentis. & ſic de aliis.

¶ Finis primi Cap.

EXEMPLVM PRIMÆ DECLINATIONIS.

NOminatiuo hæc muſa, genitiuo huius muſæ, datiuo huic muſæ, accuſatiuo hanc muſam, vocatiuo o muſa, ablatiuo ab hac muſa. Et pluraliter, nominatiuo hę muſæ, genitiuo harum muſarum, datiuo his muſis, accuſatiuo has muſas, vocatiuo o muſæ, ablatiuo ab his muſis. Secundæ.

NOminatiuo hic puer, genitiuo huius pueri, datiuo huic puero, accuſatiuo hunc puerum, vocatiuo o puer, ablatiuo ab hoc puero. Et pluraliter, nominatiuo hi pueri, genitiuo horum puerorum, datiuo his pueris, accuſatiuo hos pueros, vocatiuo o pueri, ablatiuo ab his pueris. Tertiæ.

NOminatiuo hic pater, genitiuo huius patris, datiuo huic patri, accuſatiuo hunc patrem, vocatiuo o pater, ablatiuo ab hoc patre. Et pluraliter, nominatiuo hi patres, genitiuo horum patrum, datiuo his patribus, accuſatiuo hos patres, vocatiuo o patres, ablatiuo ab his patribus. Quartæ.

NOminatiuo hæc manus, genitiuo huius manus, datiuo huic manui, accuſatiuo hãc manum, vocatiuo o manus, ablatiuo ab hãc manu. Et pluraliter, nominatiuo hæ manus, genitiuo harum manuum, datiuo his manibus, accuſatiuo has manus, vocatiuo o manus, ablatiuo ab his manibus. Quintæ.

NOminatiuo hæc res, genitiuo huius rei, datiuo huic rei, accuſatiuo hanc rem, vocatiuo o res, ablatiuo ab hac re. Et pluraliter, nominatiuo hæ res, genitiuo harum rerum, datiuo his rebus, accuſatiuo has res, vocatiuo o res, ablatiuo ab his rebus.

DECLINATIO PRONOMINVM.

PErſonæ primæ generis omnis, Ego, mei vel mis, mihi, me, à me: & pluraliter, nos, noſtrum vel noſtri, nobis, nos, à nobis. Perſonæ ſecundæ generis omnis, Tu, tui vel tis, tibi, te, o tu, à te: & plur. vos, veſtrum vel veſtri, vobis, vos, o vos, à vobis. Perſonæ tertiæ generis omnis vtriuſque numeri ſine nominatiuo, Sui, ſibi, ſe, à ſe: & plur. ſui, ſibi, ſe, à ſe. ¶ Generis maſculini, Ille, illius, illi, illum, ab illo: & plur. illi, illorũ, illis, illos, ab illis. Generis fœminini, Illa, illius, illi, illam, ab illa: & plur. illæ, illarum, illis, illas, ab illis. Generis neutri, Illud, illius, illi, illud, ab illo: & plur. illa, illorum, illis, illa, ab illis. ¶ Sic declinantur, Ipſe, ipſa, ipſum. Iſte, iſta, iſtud. Is, ea, id. ¶ Generis maſculini, Hic, huius,

huic,

huic,hunc,ab hoc: & plur. hi,horum,his,hos,ab his. Generis fœminini, Hæc,huius,huic,hanc,ab hac: & plur. hæ,harum,his,has,ab his. Generis neutri,Hoc,huius,huic,hoc,ab hoc: & plur. hæc,horum,his,hæc,ab his. ¶ Hac etiam forma flectuntur nomina quædam,vt, Generis maſculini,quis vel qui,cuius,cui,quem,à quo vel à qui: & plur. qui,quorum,queis vel quibus,quos, à queis vel à quibus. Generis fœminini, quæ vel qua,cuius,cui,quam,à qua vel à qui: & plur. quæ,quarũ,queis vel quibus,quas,à queis vel à quibus: Generis neutri, quod vel quid, cuius,cui,quod vel quid,à quo vel à qui: & plur. quæ vel qua,quorũ, queis vel quibus,quæ vel qua,à queis vel à quibus. ¶ Generis maſculini,meus,mei,meo,meum,o mi,à meo: & plural. mei,meorum,meis, meos,o mei,à meis. Generis fœminini,mea,meæ,meæ,meam,o mea,à mea: & plur. meæ,mearum,meis,meas,o meæ,à meis. Generis neutri, meum,mei,meo,meum,o meum,à meo: & plur. mea,meorum,meis, mea,o mea,à meis. ¶ Sic declinantur,Tuus,tua,tuum.Suus,ſua,ſuum. Noſter,noſtra,noſtrũ.Veſter,veſtra,veſtrum. ¶ Nominatiuo hic & hæc & hoc noſtras,genitiuo huius noſtratis,datiuo huic noſtrati,accuſatiuo hunc & hanc noſtratem & hoc noſtras,vocatiuo o noſtras,ablatiuo ab hoc & ab hac & ab hoc noſtrate vel noſtrati: & plur. nominatiuo hi & hæ noſtrates & hæc noſtratia, genitiuo horum & harum & horum noſtratium,datiuo his noſtratibus,accuſatiuo hos & has noſtrates & hæc noſtratia,vocatiuo o noſtrates & o noſtratia,ablatiuo ab his noſtratib. ¶ Sic declinantur Veſtras,& nomen Cuias,ſed carent vocatiuo.

Sequuntur coniugationes verborum.

EXEMPLVM PRIMÆ CONIVG.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

AMo,amas,amat:& pluraliter,amamus,amatis,amant.Præterito imperfecto,amabam,amabas,amabat: & pluraliter,amabamus, amabatis,amabant.Pręterito perfecto,amaui,amauiſti,amauit: & plu.amauimus,amauiſtis,amauerunt vel amauere.Pręterito pluſquã perfecto,amaueram,amaueras,amauerat: & plur. amaueramus,amaueratis,amauerant. Futuro,amabo,amabis,amabit: & plur. amabimus, amabitis,amabunt. ¶ Imperatiuo modo,tempore præſenti,ad ſecundam & tertiam perſonam,ama,amet: & plur. amemus,amate,ament. Futuro,amato tu,amato ille: & pluraliter, amemus,amatote,amanto. ¶ Optatiuo modo,tempore præſenti,& præterito imperfecto, vtinam amarem,amares,amaret: & plur.vtinam amaremus,amaretis,amarent. Præterito perfecto,& pluſquamperfecto,vtinam amauiſſem,amauiſſes,

amauiſſet: & plur. vtinam amauiſſemus,amauiſſetis,amauiſſent. Futuro,vtinam amem,ames,amet: & plur. vtinam,amemus,ametis,ament. ¶Coniunctiuo modo,tempore preſenti,cum amem,ames,amet,& pluraliter,cum amemus,ametis,ament. Præterito imperfecto, cum amarem,amares,amaret,& pluraliter,cum amaremus,amaretis,amarent. Præterito perfecto, cum amauerim, amaueris, amauerit, & pluraliter, cum amauerimus,amaueritis,amauerint. Præterito pluſquam perfecto cum amauiſſem,amauiſſes,amauiſſet, & pluraliter, cum amauiſſemus, amauiſſetis,amauiſſent. Futuro,cum amauero,amaueris,amauerit, & pluraliter,cum amauerimus,amaueritis,amauerint. ¶Infinitiuo modo ſine numeris & perſonis,tempore preſenti, & præterito imperfecto amare. Præterito perfecto,& pluſquam perfecto amauiſſe. Futuro amatum ire vel amaturum eſſe. ¶ Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, amandi,amando,amandum. Supina,amatum, amatu.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

AMor,amaris vel amare,amatur, & pluraliter,amamur,amamini, amantur. Præterito imperfecto,amabar,amabaris vel amabare, amabatur, & pluraliter,amabamur,amabamini,amabantur. Præterito perfecto,amatus ſum vel fui,es vel fuiſti,eſt vel fuit, & plur. amati, ſumus vel fuimus,eſtis vel fuiſtis,ſunt fuerunt vel fuere. Præterito pluſquam perfecto,amatus eram vel fueram,eras vel fueras,erat vel fuerat, & pluraliter, amati eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro,amabor,amaberis vel amabere,amabitur,& pluraliter, amabimur,amabimini,amabuntur. ¶Imperatiuo modo,tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam,amare,ametur, & pluraliter, amemur,amamini,amentur. Futuro,amator tu,amator ille,& pluraliter,amemur,amaminor,amantor. ¶ Optatiuo modo,tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam amarer, amareris vel amarere amaretur,& pluraliter,vtinam amaremur,amaremini,amarentur. Præterito perfecto,& pluſquam perfecto,vtinam amatus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes,eſſet vel fuiſſet, & pluraliter, vtinam amati eſſemus vel fuiſſemus,eſſetis vel fuiſſetis,eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinam amer, ameris vel amere,ametur,& plur.vtinam amemur,amemini,amentur. ¶ Coniunctiuo modo,tempore præſenti,cum amer,ameris vel amere, ametur,& pluraliter,cum amemur,amemini,amentur. Præterito imperfecto, cum amarer, amareris vel amarere, amaretur, & plural.cum amaremur,amaremini,amarentur. Præterito perfecto,cum amatus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit, & pluraliter, cum amati ſimus vel fuerimus,ſitis vel fueritis,ſint vel fuerint. Præterito pluſquam per-

fecto

fecto,cum amatus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet, & pluraliter, cum amati eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro cum amatus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit,& pluraliter,cum amati erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. ¶ Infinitiuo modo ſine numeris & perſonis tempore præſenti & præterito imperfecto, amari. Præterito perfecto & pluſquamperfecto amatum eſſe vel fuiſſe. Futuro, amatum iri.

EXEMPLVM SECVNDÆ.

¶Indicatiuo modo tempore præſenti

DOceo, doces, docet: & pluraliter, docemus, docetis, docent. Præterito imperfecto,docebam,docebas,docebat:& pluraliter, docebamus,docebatis,docebant. Præterito perfecto,docui,docuiſti,docuit: & pluraliter,docuimus,docuiſtis,docuerunt vel docuere. Præterito pluſquam perfecto,docueram,docueras,docuerat: & pluraliter,docueramus,docueratis,docuerant. Futuro,docebo,docebis,docebit: & pluraliter,docebimus,docebitis,docebunt. ¶Imperatiuo modo,tempore præſenti,ad ſecundam & tertiam perſonam, doce,doceat; & pluraliter,doceamus,docete,doceant. Futuro,doceto tu,doceto ille: & pluraliter,doceamus,docetote,docento. ¶Optatiuo modo,tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam docerem, doceres, doceret: & pluraliter,doceremus,doceretis,docerent. Præterito perfecto & pluſquamperfecto,vtinam docuiſſem,docuiſſes,docuiſſet: & pluraliter,docuiſſemus,docuiſſetis,docuiſſent. Futuro,vtinam doceam,doceas,doceat: & pluraliter,doceamus,doceatis,doceant. ¶Coniunctiuo modo, tempore præſenti,cum doceam,doceas,doceat:& pluraliter,doceamus, doceatis,doceant. Præterito imperfecto, cum docerem,doceres,doceret: & pluraliter, doceremus,doceretis,docerent. Præterito perfecto, cum docuerim,docueris,docuerit: & pluraliter, cum docuerimus,docueritis,docuerint. Præterito pluſquamperfecto, cum docuiſſem,docuiſſes,docuiſſet: & pluraliter,docuiſſemus,docuiſſetis,docuiſſent. Futuro, cum docuero, docueris, docuerit: & pluraliter, docuerimus, docueritis,docuerint. ¶Infinitiuo modo,ſine numeris & perſonis,tempore præſenti,& præterito imperfecto, docere. Præterito perfecto & pluſquam perfecto,docuiſſe. Futuro, doctum ire vel docturum eſſe. ¶Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, docendi, docendo, docendum. ¶ Supina, doctum,doctu.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti.

DOceor,doceris vel docere,docetur: & pluraliter,docemur,docemini,docentur. Præterito imperfecto,docebar,docebaris vel docebare,

cebare,docebatur: & pluraliter docebamur,docebamini,docebantur. Præterito perfecto, doctus ſum vel fui,es vel fuiſti, eſt vel fuit: & pluraliter, docti ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt,fuerunt vel fuere. Præterito pluſquamperfecto, doctus eram vel fueram, eras vel fueras, erat vel fuerat: & pluraliter, docti eramus vel fueramus, eratis vel fueratis,erant vel fuerant. Futuro docebor, doceberis vel docebere, docebitur: & pluraliter, docebimur,docebimini,docebuntur.

¶ Imperatiuo modo,tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, docere, doceatur: & pluraliter, doceamur, docemini, doceantur. Futuro docetor tu,docetor ille: & plu.doceamur,doceminor,docentor.

¶ Optatiuo modo tempore præſenti,& præterito imperfecto, vtinam docerer,docereris vel docerere,doceretur: & pluraliter,doceremur,doceremini,docerentur. Prꝫterito perfecto & pluſquamperfecto,vtinam doctus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet: & plur. docti eſſemus vel fuiſſemus,eſſetis vel fuiſſetis,eſſent vel fuiſſent. Futuro,vtinam docear,docearis vel doceare,doceatur: & pluraliter,doceamur,doceamini,doceantur. ¶ Coniunctiuo modo tempore præſenti,cum docear,docearis vel doceare,doceatur: & pluraliter,doceamur,doceamini, doceantur. Præterito imperfecto,cum docerer ,docereris vel docerere, doceretur: & pluraliter,doceremur,doceremini, docerentur. Præterito perfecto, cum doctus ſim vel fuerim,ſis vel fueris,ſit vel fuerit: & plur. cum docti ſimus vel fuerimus, ſitis vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito pluſquamperfecto, cum doctus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet: & pluraliter,cum docti eſſemus vel fuiſſemus,eſſetis vel fuiſſetis,eſſent vel fuiſſent. Futuro cum doctus ero vel fuero,eris vel fueris,erit vel fuerit: & pluraliter, cũ docti erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis,erunt vel fuerint. ¶ Infinitiuo modo ſine numeris & perſonis tempore præſenti & præterito imperfecto,doceri. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, doctum eſſe vel fuiſſe. Futuro, doctum iri.

EXEMPLVM TERTIÆ.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

LEgo,legis,legit: & pluraliter,legimus,legitis,legunt. Præterito imperfecto, legebam,legebas legebat: & plur. legebamus,legebatis, legebant. Præterito perfecto, legi,legiſti,legit: & plur.legimus,legiſtis, legerũt vel legere. Præterito pluſquamperfecto,legerã, legeras,legerat: & plur. legeramus,legeratis,legerãt. Futuro,legam,leges,leget: & plur. legemus,legetis,legent. ¶ Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, lege,legat: & pluraliter,legamus,legite, legant. Futuro legito tu,legito ille: & plur,legamus,legitote,legunto.

¶ Opta

¶ Optatiuo modo tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam legerem, legeres, legeret: & pluraliter, vtinam legeremus, legeretis, legerent. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam legiſſem, legiſſes, legiſſet: & pluraliter, vtinam legiſſemus, legiſſetis, legiſſent. Futuro, vtinam legam, legas, legat: & pluraliter, vtinam legamus, legatis, legāt. ¶ Coniunctiuo modo tempore præſenti, cum legam, legas, legat: & pluraliter, cum legamus, legatis, legant. Præterito imperfecto, cum legerem, legeres, legeret: & pluraliter, cū legeremus, legeretis, legerent. Præterito perfecto, cum legerim, legeris, legerit: & pluraliter, cum legerimus, legeritis, legerint. Præterito pluſquamperfecto, cum legiſſem, legiſſes, legiſſet: & pluraliter, cum legiſſemus, legiſſetis, legiſſent. Futuro cum legero, legeris, legerit: & pluraliter cum legerimus, legeritis, legerint. ¶ Infinitiuo modo ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, legere. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, legiſſe. Futuro lectum ire, vel lecturum eſſe.

¶ Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, legendi, legendo, legendum. ¶ Supina, lectum, lectu.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

Legor, legeris vel legere, legitur: & pluraliter, legimur, legimini, leguntur. Præterito imperfecto, legebar, legebaris vel legebare, legebatur: & pluraliter, legebamur, legebamini, legebantur. Præterito perfecto, lectus ſum vel fui, es vel fuiſti, eſt vel fuit: & pluraliter, lecti ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt fuerunt vel fuere. Præterito pluſquamperfecto, lectus eram vel fueram, eras vel fueras, erat vel fuerat: & pluraliter, lecti eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro legar, legeris vel legere, legetur: & pluraliter, legemur, legemini, legentur. ¶ Imperatiuo modo tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonam, legere, legatur: & pluraliter, legamur, legimini, legātur. Futuro legitor tu, legitor ille: & pluraliter, legamur, legiminor, leguntor. ¶ Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam legerer, legereris vel legerere, legeretur: & pluraliter, vtinam legeremur, legeremini, legerentur. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam lectus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet, & plur. vtinā lecti eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinā legar, legaris vel legare, legatur: & pluraliter, vtinā legamur, legamini, legantur. ¶ Coniunctiuo modo tempore præſenti, cum legar, legaris vel legare, legatur: & plural. cum legamur, legamini, legantur. Præterito imperfecto, cū legerer, legereris vel legerere, legeretur: & plur. cum legeremur, legeremini, legerentur.

Præ-

Præterito perfecto, cum lectus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit: & pluraliter cum lecti ſimus vel fuerimus, ſitis vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito pluſquamperfecto cum lectus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet: & pluraliter, cum lecti eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro cum lectus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit: & pluraliter, cum lecti erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erunt vel fuerint. ¶ Infinitiuo modo ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, legi. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, lectum eſſe vel fuiſſe. Futuro, lectum iri.

EXEMPLVM QVARTÆ CONIVG.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

AVdio, audis, audit, & pluraliter, audimus, auditis, audiunt. Præterito imperfecto, audiebam, audiebas, audiebat, & pluraliter, audiebamus, audiebatis, audiebant. Præterito perfecto, audiui, audiuiſti, audiuit, & pluraliter, audiuimus, audiuiſtis, audiuerunt vel audiuere. Præterito pluſquamperfecto, audiueram, audiueras, audiuerat, & pluraliter, audiueramus, audiueratis, audiuerant. Futuro, audiam, audies, audiet, & pluraliter, audiemus, audietis, audient. ¶ Imperatiuo modo tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam pſonam, audi, audiat, & pluraliter, audiamus, audite, audiant. Futuro, audito tu, audito ille, & pluraliter, audiamus, auditote, audiunto. ¶ Optatiuo modo tempore præſenti, & præterito imperfecto vtinam, audirem, audires, audiret, & pluraliter, vtinam audiremus, audiretis, audirent. Præterito perfecto & pluſquam perfecto, vtinam audiuiſſem, audiuiſſes, audiuiſſet, & pluraliter, vtinam audiuiſſemus, audiuiſſetis, audiuiſſent. Futuro, vtinam audiam, audias, audiat, & pluraliter, vtinam audiamus, audiatis, audiant. ¶ Coniunctiuo modo tempore præſenti cum audiam, audias, audiat, & pluraliter, cum audiamus, audiatis, audiant. Præterito imperfecto, cum audirem, audires, audiret, & pluraliter, cum audiremus, audiretis, audirent. Præterito perfecto, cum audiuerim, audiueris, audiuerit, & pluraliter, cum audiuerimus, audiueritis, audiuerint. Præterito pluſquam perfecto, cum audiuiſſem, audiuiſſes, audiuiſſet, & pluraliter, cum audiuiſſemus, audiuiſſetis, audiuiſſent. Futuro, cum audiuero, audiueris, audiuerit, & pluraliter, cum audiuerimus, audiueritis, audiuerint. ¶ Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, audire. Præterito pfecto & pluſquampfecto, audiuiſſe. Futuro, auditum ire, vel auditurum eſſe. ¶ Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, audiendi, audiendo, audiendum. ¶ Supina, auditum, auditu.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

AVdior, audiris vel audire, auditur, & pluraliter audimur, audimini, audiuntur. Præterito imperfectô, audiebar, audiebaris vel audiebare, audiebatur, & pluraliter, audiebamur, audiebamini, audiebantur. Præterito perfecto, auditus ſum vel fui, es vel fuiſti, eſt vel fuit, & pluraliter, auditi ſumus vel fuimus, eſtis vel fuiſtis, ſunt fuerunt vel fuere. Præterito pluſquamperfecto, auditus eram vel fueram, eras vel fueras, erat vel fuerat, & pluraliter, auditi eramus vel fueramus, eratis vel fueratis, erant vel fuerant. Futuro audiar, audieris vel audiere, audietur, & pluraliter, audiemur, audiemini, audientur. ¶ Imperatiuo modo tempore præſenti ad ſecundam & tertiam perſonam audire, audiatur, & pluraliter audiamur, audimini, audiantur. Futuro, auditor tu, auditor ille, & pluraliter, audiamur, audiminor, audiuntor. ¶ Optatiuo modo, tempore præſenti, & præterito imperfecto, vtinam audirer, audireris vel audirere, audiretur, & pluraliter, vtinam audiremur, audiremini, audirentur. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam auditus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet: & plur. vtinam auditi eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro, vtinam audiar, audiaris vel audiare, audiatur: & plur. vtinam audiamur, audiamini, audiantur. ¶ Coniunctiuo modo tempore pręſenti, cum audiar, audiaris vel audiare, audiatur: & plu. cum audiamur, audiamini, audiantur. Præterito imperfecto, cum audirer, audireris vel audirere, audiretur: & plur. cum audiremur, audiremini, audirentur. Præterito perfecto, cum auditus ſim vel fuerim, ſis vel fueris, ſit vel fuerit: & plur. cum auditi ſimus vel fuerimus, ſitis vel fueritis, ſint vel fuerint. Præterito pluſquamperfecto, cū auditus eſſem vel fuiſſem, eſſes vel fuiſſes, eſſet vel fuiſſet: & plur. cū auditi eſſemus vel fuiſſemus, eſſetis vel fuiſſetis, eſſent vel fuiſſent. Futuro cum auditus ero vel fuero, eris vel fueris, erit vel fuerit: & plu. cū auditi erimus vel fuerimus, eritis vel fueritis, erūt vel fuerint. ¶ Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti, & præterito imperfecto, audiri. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, auditum eſſe vel fuiſſe. Futuro auditum iri.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

SVm, es, eſt: & plur. ſumus, eſtis, ſunt. Præterito imperfecto, eram, eras, erat: & plur. eramus, eratis, erāt. Præterito perfecto, fui, fuiſti, fuit: & pl. fuimus, fuiſtis, fuerunt vel fuere. Præterito pluſquāperfecto fueram, fueras, fuerat: & pl. fueramus, fueratis, fuerāt. Futuro, ero, eris, erit: & plur. erimus, eritis, erūt. ¶ Imperatiuo modo tempore præſenti, ad ſecundam & tertiam perſonā, ſis, ſit: & plur. ſimus, ſitis vel eſte, ſint.

Futuro eſto tu,eſto ille: & plur.ſimus,eſtote,ſunto. ¶Optatiuo modo tempore præſenti,& præterito imperfecto,vtinam eſſem,eſſes,eſſet: & plur. vtinam eſſemus,eſſetis,eſſent. Præterito perfecto, & pluſquam perfecto,vtinam fuiſſem,fuiſſes,fuiſſet:& plur.vtinam fuiſſemus,fuiſſetis,fuiſſent. Futuro,vtinam ſim,ſis,ſit: & plur. vtinam ſimus,ſitis,ſint. ¶ Coniunctiuo modo,tempore præſenti,cum ſim,ſis,ſit: & plur. cum ſimus,ſitis,ſint.Præterito imperfecto,cum eſſem,eſſes,eſſet:& plur.cum eſſemus,eſſetis,eſſent. Præterito perfecto,cum fuerim,fueris,fuerit: & plur.cum fuerimus,fueritis,fuerint. Præterito pluſquamperfecto,cum fuiſſem,fuiſſes,fuiſſet: & plur.cum fuiſſemus,fuiſſetis,fuiſſent. Futuro, cum fuero,fueris,fuerit: & plur.cum fuerimus,fueritis,fuerint. ¶Infinitiuo modo,ſine numeris & perſonis,tempore præſenti, & præterito imperfecto,eſſe. Præterito perfecto & pluſquãperfecto fuiſſe. Futuro, futurum eſſe. ¶ Gerundia vel participialia verba ſunt hæc,eſſendi,eſſendo,eſſendum. Supinis caret. ¶Duo participia habet,ens,& futurus.

¶ Indicatiuo modo tempore præſenti

VOlo,vis,vult: & plur. volumus,vultis,volunt. Præterito imperfecto,volebam,volebas,volebat: & plur.volebamus,volebatis,volebant. Præterito perfecto,volui,voluiſti,voluit: & plur.voluimus,voluiſtis,voluerunt vel voluere. Præterito pluſquam perfecto,volueram, volueras,voluerat: & plur. volueramus,volueratis,voluerant. Futuro volam,voles,volet: & plur. volemus,voletis,volent. ¶ Imperatiuo caret. Futurum non habet. ¶ Optatiuo modo tempore præſenti,& præterito imperfecto,vtinam vellem,velles,vellet: & plur. vtinam vellemus,velletis,vellent. Præterito perfecto,& pluſquam perfecto,vtinam voluiſſem,voluiſſes,voluiſſet:& plur.vtinam voluiſſemus,voluiſſetis,voluiſſent. Futuro,vtinam velim,velis,velit:& plur.vtinam velimus,velitis,velint. ¶ Coniunctiuo modo,tempore præſenti,cum velim,velis, velit: & plur. cum velimus,velitis,velint. Præterito imperfecto, cum vellem,velles,vellet: & plur. cum vellemus,velletis,vellent. Præterito perfecto, cum voluerim, volueris, voluerit :& plur. cum voluerimus, volueritis,voluerint. Præterito pluſquam perfecto,cum voluiſſem,voluiſſes,voluiſſet: & plur. cum voluiſſemus,voluiſſetis,voluiſſent. Futuro,cum voluero,volueris,voluerit: & plur.cum voluerimus,volueritis, voluerint. ¶Infinitiuo modo, ſine numeris & perſonis, tempore præſenti,& præterito imperfecto,velle. Præterito perfecto, & pluſquam perfecto,voluiſſe. Futuro caret. Gerundia vel participialia verba ſunt hæc, volendi, volendo, volendum. Supinis caret. Vnum participium habet, quod eſt volens.

¶ Verba imperſonalia actiuæ vocis ſic coniugantur:

INdicatiuo modo tẽpore præſenti, Oportet. Præterito imperfecto, oportebat. Præterito perfecto, oportuit. Præterito pluſquãperfecto, oportuerat. Futuro, oportebit. ¶ Imperatiuo modo tempore præſenti oporteat. ¶ Optatiuo modo tempore præſenti & præterito imperfecto vtinam oporteret Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinã oportuiſſet. Futuro, vtinam oporteat. ¶ Coniunctiuo modo tẽpore præſenti cum oporteat. Præterito imperfecto cum oporteret. Præterito perfecto cum oportuerit. Præterito pluſquamperfecto, cum oportuiſſet. Futuro cũ oportuerit. ¶ Infinitiuo modo tempore præſenti, & præterito imperfecto, oportere. Præterito perfecto & pluſquamperfecto oportuiſſe.

¶ Coniugatio verborum imperſonalium paſſiuæ vocis.

INdicatiuo modo tempore præſenti, Amatur. Præterito imperfecto, amabatur. Præterito perfecto, amatum eſt vel fuit. Præterito pluſquamperfecto, amatũ erat vel fuerat. Futuro, amabitur. ¶ Imperatiuo modo, tẽpore præſenti, ametur. Futuro, amator. ¶ Optatiuo modo, tpe præſenti, & præterito imperfecto, vtinã amaretur. Præterito perfecto & pluſquamperfecto, vtinam amatum eſſet vel fuiſſet. Futuro, vtinã ametur. ¶ Coniunctiuo modo tempore præſenti, cũ ametur. Præterito imperfecto, cum amaretur. Præterito perfecto, cum amatum ſit vel fuerit. Præterito pluſquamperfecto, cum amatũ eſſet vel fuiſſet. Futuro, cum amatum erit vel fuerit. ¶ Infinitiuo modo tempore præſenti, & præterito imperfecto amari. Præterito perfecto & pluſquamperfecto amatum eſſe vel fuiſſe. Futuro, amatum iri.

Tertium capitellum de regulis cõgruitatis.

VIR bonus, eſt oratio congrua? Eſt. Quare? Quia ſubſtantiuum & adiectiuum, bene cõueniunt in genere, in numero & in caſu. Alia exempla. Proba mulier. Vtile mancipium. Pater noſter. Vox audita perit, Litera ſcripta manet. Omnia pronomina & participia inter adiectiua reponuntur.

¶ Deus eſt quem adoramus, eſt congrua? Eſt. Quare? Quia relatiuum conuenit cum ſuo antecedente in genere & in numero. Alia exempla. Felix anima, quam Deus amat. Beatus homo, quẽ tu erudieris Domine.

¶ Cui ſeruis? Chriſto: eſt cõgrua? Eſt. Quare? Quia interrogatiuum & reſponſiuum conueniunt in caſu, aut in debita ſatiſfactione quærentis. Alia exempla. Quis vocaris? Petrus. Quẽ vidiſti? Paulum. Quid agis? Lego. Qui vales? Recte.

¶ Petrus Apoſtolus, eſt congrua? Etiam, quia nomina ſubſtantiua, ad idem pertinentia, ſunt eiuſdem caſus. Alia exempla. Dominus Ieſus Chriſtus. Virgo Maria. Propheta Dauid.
¶ Petrus & Paulus, eſt congrua? Eſt, quia coniunctio copulat conſimiles caſus, aut dictiones. Alia exempla. Ego vel tu. Ionas ludit aut fabulatur.

DE NOMINATIVO.

PEtrus ſcribit, eſt oratio latina? Etiam, quia ſuppoſitum & verbum perſonale, bene conueniunt in numero, & perſona. ¶ Quid eſt ſuppoſitum? Nominatiuus caſus, aut aliquid poſitum loco nominatiui, vt Velle ſuum cuique eſt. Seruire Deo regnare eſt. Furari eſt peccatum.
¶ Loquor, eſt oratio congrua? Etiam, quia ſuppoſitum & verbum perſonale, bene conueniunt in numero & perſona. Nam in omni verbo primæ vel ſecundæ perſonæ, ſatis intelligitur ſuppoſitum.
¶ Pater & mater obierunt, eſt congrua? Eſt, quia ſingularia copulata, valore ſunt pluralis numeri, & ſic ſuppoſitum & verbum perſonale, bene conueniunt in numero & perſona.
¶ Sum pauper, eſt oratio congrua? Etiam, quia verbum ſubſtantiuum, verbum vocatiuum, aut vim eorum habens, regit poſt ſe nominatiuum. Alia exempla. Vocor Petrus. Inuitus ſeruio. Fio laſſus. Imprudens feci. Vnum eſt verbum ſubſtantiuum, Sum, es, eſt. Quinque ſunt verba vocatiua, nuncupor, appellor, vocor, dicor, nominor.

DE GENITIVO.

LIber Petri, eſt oratio latina? Eſt, quia nomen ſubſtantiuum, bene regit genitiuum. Alia exempla. Gratia Dei. Clementia principis.
¶ Spirans minarum, eſt congrua? Eſt, quia nomen verbale, aut vim eius habens, regit genitiuum. Alia exempla. Doli capax. Plenus rimarum.
¶ Vnus fratrum, eſt congrua? Eſt, quia dictio partitiue poſita, regit genitiuum ſui totius. Alia exempla. Vna ſororum. Aliquis iſtorum.
¶ Tunc tēporis, eſt congrua? Eſt, quia aduerbia loci, tēporis, quantitatis, bene regunt genitiuū. Alia exempla. Eo loci. Parum olei. Satis honoris.
¶ Oblitus bonorum, eſt oratio congrua? etiam, quia participium, gerundium, ſupinum, regit caſum ſui verbi. Alia exempla. Fauens bonis. Vſus conſilio. Hora reddendi lectionem. Eo ſcriptum carmina.

DE DATIVO.

AMabilis omnibus, eſt oratio congrua? Eſt, quia hoc nomen adiectiuum, congruè regit datiuum. Alia exempla. Similis tibi. Difficilis nemini. Malus omnibus. Ingratus Deo.
¶ Dico tibi, eſt congrua? Etiam, quia verbum acquiſitiuè poſitum, regit datiuum. Alia exempla. Faueo bonis. Aduerſor malis. Eſt mihi pater.

¶ Do tibi panem, eſt congrua? Etiam, quia verbum tranſitiuum acquiſitiuè poſitum, regit datiuum cum accuſatiuo. Aliud. Dimitte nobis debita noſtra.
¶ Hoc datur tibi vitio, eſt congrua? Eſt, quia verbum ſubſtantiuum, aut vim eius habens, bene regit duos datiuos. Alia exempla. Cuique ſua virtus honori eſt. Iugi ſit memoria mors hæc mihi curæ.

DE ACCVSATIVO.

ME legere, eſt congrua? Eſt, quia verbum infinitiui modi regit ante ſe accuſatiuum. Alia exempla. Oportuit Chriſtum pati. Quid me vis facere? Cupio te modeſtiorem eſſe.
¶ Amo Deum, eſt congrua? Eſt, quia verbum tranſitiuè poſitũ, regit accuſatiuũ. Alia exempla. Sequor Dominũ. Diligo bonos. Serua mandata.
¶ Precor te veniam, eſt congrua? Eſt, quia verbum hoc bene regit duos accuſatiuos ad diuerſa pertinentes. Alia exempla. Interrogo te quęſtionem. Induo te tunicam. Timorem Domini docebo vos.
¶ Ægrotaui tres menſes, eſt congrua? Eſt, quia verbum bene regit accuſatiuum vel ablatiuum temporis quamdiu. Alia exempla. Abfui tres dies, vel tribus diebus. Studui quinque horas, vel horis.

DE ABLATIVO.

VIr duro capite, eſt congrua? Eſt, quia nomen ſubſtantiuum bene regit ablatiuum qualitatis, aut quantitatis. Alia exempla. Vir acri ingenio. Puer acuto viſu. Longo naſo mulier.
¶ Vnus numero, eſt latina? Eſt, quia nomen adiectiuũ regit ablatiuum ſuæ determinationis. Sic. Primus ordine. Natione Flander.
¶ Sum minor te, eſt congrua? Eſt, quia dictio comparatiua bene regit ablatiuum vnum, Aliquando plures. Alia exempla. Sum breuior te vno palmo. Petrus eſt multo nobilior me genere.
¶ Veni hora prima, eſt congrua? Eſt, quia verbum bene regit ablatiuum temporis quãdo. Alia exempla. Media nocte ſurgebã. Meridie diſcubui.
¶ Pudore taceo, eſt congrua? Eſt, quia verbum bene regit ablatiuum cauſæ, materiæ, modi, precij, ſpatij, vel inſtrumenti. Alia exempla. Culter fabricatur ferro. Supero te clamore. Emi librum tribus ſolidis. Diſtat hinc Duacum ſex milibus. Si percuſſeris eum virga, non morietur.

GENERALES REGVLÆ.

VOlo legere, eſt congrua? Etiam, quia verbum & participium bene conſtruuntur cum infinitiuo. Alia exempla. Neſcio loqui. Scire volunt omnes, mercedem ſoluere nemo. Volens proficere, diligat literas, & præceptorem.
¶ Diligenter ſtudeo, eſt oratio latina? Eſt, quia aduerbium determinat

ſuum verbum,participium,nomẽ adiectiuum,vel ſeipſum. Alia exempla. Bene valens. Parum proficio. Multum deles. Valde rarò proficit.

¶ Tempus tacendi, eſt congrua? Eſt, quia gerundium in di, recte conſtruitur cum nomine. Alia exempla. Modus agendi. Forma procedendi. Hora ſtudendi.

¶ Inter cœnandum,eſt congrua? Eſt,quia gerundium in dum,bene conſtruitur cũ præpoſitione.Alia exempla.Inter agendum.Ad confitendũ.

¶ In ſcribendo,eſt congrua? Eſt,quia gerundium in do,cũ præpoſitione vel abſolutè ponitur,vt Cantando vinces illum.Defeſſus ſum ludendo.

¶ Eo venatum,eſt congrua? Eſt,quia prius ſupinũ bene conſtruitur cũ verbo vel participio importante motum,vt, I cubitũ.Vado ambulatũ.

¶ Facile dictu,eſt congrua? Eſt,quia poſterius ſupinũ bene conſtruitur cum nomine adiectiuo. Alia exempla. Difficile factu. Pulchrum viſu.

SVm Gandaui,eſt oratio latina? Etiam,quia genitiuus ſingularis,loci minoris,proprij,primę vel ſecundę declinationis,cum appellatiuis domi,belli,militiæ,humi,terræ, togæ,vbi quæſtio fit per vbi,bene conſtruitur cum verbo, vel participio importante quietem in loco. Alia exempla. Papa manet Romæ. Ego fui Bruxellæ.Petrus habitat domi.

¶ Manſi Valencenis,eſt congrua? Eſt,quia datiuus & ablatiuus loci minoris,proprij,pluralis numeri tantùm,vel tertiæ declinationis,cum appellatiuo ruri vbi quæſtio fit per vbi,bene conſtruitur cum verbo, vel participio importante quietem in loco. Alia exempla. Dido Carthagine periit. Crœſus morabatur Sardibus. Petrus reſidet Brugis. Paulus eſt ruri.

¶ Vado Romam,eſt congrua? Eſt, quia accuſatiuus loci minoris,proprij,cum appellatiuis,rus, domum, vbi quæſtio fit per quò, bene conſtruitur cum verbo vel participio importante motum ad locum. Alia exempla. Paulus iuit Valencenas, profecturus Tornacum. Vade domum. Ego iturus ſum Brugas.

¶ Veni Roma,eſt cõgrua? Eſt,quia ablatiuus loci minoris,proprij,cum appellatiuis,rure,domo, vbi quæſtio fit per vnde vel quà,bene conſtruitur cum verbo, vel participio importante motum de loco, vel per locum. Alia exempla. Epiſcopus rediit Colonia. Ioannes reuerſus eſt Gandauo, Lutetia, Louanio, rure, domo.

¶ O Melibœe,eſt latina? eſt,quia aduerbium ò conſtruitur cũ vocatiuo.

¶ Ad patrem,eſt congrua? eſt,quia præpoſitio Ad,regit accuſatiuum?

¶ A domo,eſt congrua? eſt,quia præpoſitio A, regit ablatiuum.

¶ Hei mihi,eſt oratio congrua? eſt,quia interiectio hei,cupit datiuum.

¶ O

¶O, heu, proh, volunt nominatiuum, vt, O dies feſtus. Heu priſca fides. Proh dolor. Accuſatiuum, O nobilem animum. Heu me miſerum, Proh deûm atque hominum fidem.

¶ Modus ſcribendi per cifras.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
j	ij	iij	iiij	v	vj	vij	viij	ix	x
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
xj	xij	xiij	xiiij	xv	xvj	xvij	xviij	xix	xx
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
xxj	xxij	xxiij	xxiiij	xxv	xxvj	xxvij	xxviij	xxix	xxx
31	32	33	34	35	36	37	38	39	40
xxxj	xxxij	xxxiij	xxxiiij	xxxv	xxxvj	xxxvij	xxxviij	xxxix	xl
41	42	43	44	45	46	47	48	49	50
xlj	xlij	xliij	xliiij	xlv	xlvj	xlvij	xlviij	xlix	l
51	52	53	54	55	56	57	58	59	60
lj	lij	liij	liiij	lv	lvj	lvij	lviij	lix	lx
61	62	63	64	65	66	67	68	69	70
lxj	lxij	lxiij	lxiiij	lxv	lxvj	lxvij	lxviij	lxix	lxx
71	72	73	74	75	76	77	78	79	80
lxxj	lxxij	lxxiij	lxxiiij	lxxv	lxxvj	lxxvij	lxxviij	lxxix	lxxx
81	82	83	84	85	86	87	88	89	90
lxxxj	lxxxij	lxxxiij	lxxxiiij	lxxxv	lxxxvj	lxxxvij	lxxxviij	lxxxix	xc
91	92	93	94	95	96	97	98	99	100
xcj	xcij	xciij	xciiij	xcv	xcvj	xcvij	xcviij	xcix	c.
101	102	103	104	105	106	107	108	109	110.
200	300	400	500	600	700	800	900	1000	2000

¶ A fine incipe numerare, vbi prima cifra ſtat per ſe. Secunda facit x. Tertia C. Quarta mille. Quinta x. M. Sexta C. M. Septima decies centum milia, ſeu milionem. Octaua x. miliones. Nona C. miliones. Decima, mille miliones.

DECEM PRÆCEPTA DEI. Exod. xx. ſequentibus verſibus continentur.

VNum crede Deum. Nec iures vana per ipſum.
Sabbata ſanctifices. Habeas in honore parentes.
Non ſis occiſor, Mœchus, Fur, Teſtis iniquus.
Nec nuptam alterius, nec rem cupias alienam.

Quinque

¶Quinq; præcepta eccleſię, Diebus Dominicis & feſtis audire miſſam. Semel in anno confiteri. Semel in anno Eucharistiam ſumere. Dies feſtos celebrare. Quadrageſimam, Vigilias, Quatuor tempora ieiunare.
¶ Septem eccleſiæ Sacramenta: Baptiſmus, confirmatio, confeſſio, euchariſtia, ſacer ordo, coniugium, extrema vnctio.
¶ Septem dona Sancti ſpiritus: Sapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, timor Domini.
¶ Virtutes theologicæ: Fides, Spes, Charitas.
¶ Virtutes cardinales: Iuſtitia, prudentia, temperantia, fortitudo.
¶ Quinque ſenſus: Auditus, viſus, olfactus, guſtus, tactus.

¶ Septem opera miſericordiæ corporalia.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

¶ Spiritualia totidem,

Conſule, cede, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

BIBLIOTHECA ...

OMne peccatum fit commiſſione vel omiſſione. Malum committitur corde, ore, opere. Bonum omittitur eiſdem.
¶ Septem mortalia ſunt: Superbia, Auaricia, Gula, Luxuria, Ira, Acidia, Inuidia. Ex his alia naſcuntur omnia.

¶ Peccata clamantia vindictam:

Clamitat ante Deum vox ſanguinis, & Sodomorum,
Vox oppreſſorum, merces detenta laborum.

¶ Peccata in ſpiritum Sanctum:

Impugnans verum, præſumens, ſpemque relinquens,
Emendam ſpernens. ¶ Peccata aliena:
Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

¶ Circunſtantiæ peccatorum.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.
¶ Pœnitentia, eſt peccati commiſſi cum intima cordis contritione & firmo amplius non peccandi propoſito, emendatio.

¶ Rectè pœnitenti quinque ſunt neceſſaria:

Veniæ ſpes, cordis contritio, culpæ confeſſio, eorum quæ ſacerdos fieri iuſſit completio, peccati fuga.

Τέλος.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

gized by Google

Digitized by Google

Digitized by [illegible]